



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Isaaci Peyrerii Epistola Ad Philotimum**

**La Peyrère, Isaac de**


**Romae, 1657**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-11020**





01

N III. 40. Th. 4907.









*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*



Ex Legato Almi Principis FERDINANDI, Ep'i  
Paderb. et Monaster. Anno 1683.

ISAACI PEYRERII  
EPISTOLA

A D

PHILOTIMVM,

Quâ exponit rationes, propter quas eiura-  
uerit Sectam Caluini, quam profitebatur :  
& Librum de Præ-Adamitis, quem  
ediderat.



R O M Æ,  
Anno Salutis Humanæ MDCLVII.

---

SVPERIORVM PERMISSV.

ISAACI PEYERII  
EPISTOLA

A D

PHILOTTIMVM

Quae expositio rationes, propter quas contra  
veritatem Sacram Scripturam disputabatur  
& Librum de Persecutionibus, quibus  
Christi ecclesiam persequuntur, exponitur.

**Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo  
Sac. Pal. Apost. Magistro.**

*M. A. Episcopus Ierapoli-  
tanus Vicesger.*




**Imprimatur,  
Fr. Raymundus Capisuccus Magister  
Sac. Pal. Apost.**

R O M A E  
Anno 1617

SEPTIMO M. DECEMBER

3



ISAACVS PEYRERIVS  
PHILOTIMO.



ETIS à me, Philotime, vt tibi significem, cœterisque amicis meis, quibus idem curæ est: quare mutauerim propositum quod tenaciter institueram, de non abneganda professione Sectæ Calvinisticæ, quam Galli Reformatam vocant; quam scilicet cum ipso lacte biberam, & imbiberam, & in qua consenueram. Quare itidem, vel eiurauerim librum de Præ-Adamitis quem edideram; vel edidissem, quem deinde eiurarem. Expediam tibi vtraque meo more:

Schil

a 2

hoc

4  
hoc est, quam potero breuius & clarius.

Primum itaque fatebor ingenuè, me fortasse n  
haurum adhuc Sectæ Caluini quam profitebar;  
aut verius, in cuius cimbula fluctuabam; nisi me  
atra tempestas, glomerata & concitata de parte libri  
illius mei Præ-adamitici, adegisset, impulissetque  
nauiculam in qua eram, ad Petram quam mihi ini-  
quissimam putaueram. Sed quia Petra illa Eccle-  
sia Christi erat; & Petra ipsa de qua Christus Pe-  
trum alloquens: *Tu es Petrus, aiebat, & super hanc  
Petram edificabo Ecclesiam meam*: in illa eadem  
Petra miraculo seruatus sum. Allisa namque ad ru-  
pem nauicula, expositus sum in gramine omnium  
amœnissimo & viridissimo, quo rupes desuper stra-  
ta erat; & super quod siccis pedibus, illa sisque  
plantis, felicissimè desilui.

Non clam te est, mi Philotime, neque latet  
quam plures amicos meos, quibus de hac re multo-  
ties & totum me adprobauit: quantum abhorruer-  
im semper à schismate Ecclesiæ; & quam semper  
ægerrimè tulerim luctuosam secessionem illam, qua  
priori seculo, Lutherus primùm, & Calvinus dein-  
ceps ab Ecclesia Catholica defecit. Scriberem ad te  
volumina non epistolam, si causas omnes auersatio-  
nis huius meæ hoc loci exponerem. Hæreboque  
in illo solo argumento, seu potius conuicio, quo

Schif-

5

Schismatici omnes Ecclesiam Catholicam infectantur, cum illam Meretricem & Adulteram, perperam <sup>et falso</sup> ~~licet~~, appellant: causamque sibi inde adstruunt, quare ab eadem Ecclesia secesserint.

Non reputant qui talia debacchantur, Ecclesiam illam ipsam quam infamant & pipulo differunt, Sponsam DEI, atque adeo Matrem suam esse. Verum quidem est, Ecclesiam Iudaicam talibus quondam elogijs à DEO ipso, per Prophetas suos fuisse traductam. *Quae edificauisset sibi lupanar, & fecisset sibi prostibulum in cunctis plateis, & diuisisset pedes suos omni transeunti, & multiplicauisset fornicationes suas.* Ezechielis 16. Tum Isaia 1. In qua, propter luem contractam ex fornicationibus suis, non esset sanitas; sed à planta pedis usque ad verticem, vulnus, & liuor, & plaga tumens. Sed aequè verum est, Philotime, Ecclesiam Christianam præstare multum Iudaica, & toto vertice CHRISTO suo, supra esse. Tum quia cœremonia Iudaicæ, umbræ fuerunt & figuræ tantum veritatum Christianarum: tum quòd Ecclesia Christiana longè anteierit promissis & benedictionibus diuinis, Iudaicam. Edicente CHRISTO ipso: *Nunquam se defuturam Ecclesie sue, & aduersus illam portas inferi nunquam preualituras.* Hoc est: nunquam deserendam, & nunquam interituram Ecclesiam Christianam.

Quod

6  
Quod non ita se habuit cum Ecclesia Iudaica: ut  
potè quæ interierit, & cum Synagoga sua sepulta  
sit.

Demus certè, Ecclesiam Christi (quod tamen  
absit) in nonnullis, etiam nobilioribus suis mem-  
bris; quoad mores, non quoad dogmata, fœdari &  
contaminari posse. Ergone licebit Christiano ciu-  
rare ipsam matrem suam, quia putabit illam fœda-  
tam & contaminatam? Nec veniet in mentem ho-  
mini illi Christiano, quod legitur de Noë inebria-  
to, & nudato in tabernaculo suo? cap. 9. Geneseos.  
Cuius verenda nudata cum vidisset Cham filius eius  
reprobus, & maledictus; risit, traduxitque patrem  
suum, & nuntiauit duobus fratribus suis foras. *At  
Verò Sem & Iaphet, filij Noë electi & benedicti,  
pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retror-  
sum, operuerunt Verenda patris sui: faciesque eorum  
auerse erant, & patris virilia non viderunt.* Idem  
omninò faciendum esset Christiano electo & bene-  
dicto. Deberet ille cum fratribus suis electis & be-  
nedictis, imponere pallium suum humeris suis, ince-  
dere retrorsum, operire verenda, auertere faciem,  
nec videre turpitudinem matris suæ. Quid verò fe-  
cerunt schismatici nostri? Quod nimirum Cham  
reprobus & maledictus. Viderunt & riserunt ma-  
trem suam, quam finxere nudatam, & nuntiaue-  
runt

runt fratribus suis . Id est, traduxerunt matrem suam,  
 & infamauerunt quam putauerunt turpitudinem  
 eius . Atque adeò incurrant, necesse est, in maledi-  
 ctionem decretam in progeniem Chami . Et iustè .  
 Edixit enim DEVS ore suo, & de medio ignis . *Ho-  
 nora patrem tuum, & matrem tuam* . Neque excep-  
 pit, vel patrem ebrium, vel matrem adulteram .  
 Idemque Euangelium quod te subditum esse iubet  
 Regi tuo, discolo quamuis & Neroni; te honorare  
 præcipit matrem tuam, impudicam licèt & Messa-  
 linam . Sed quæ tam barbara vnquam religio non  
 damnauit <sup>tu</sup> ~~te~~ diliditatem natorum erga matres suas ?  
 Nihil frequentiùs occurrebat in Scenis antiquorum,  
 quàm Orestes furijs agitatus propter occisam ma-  
 trem, non solùm adulteram, sed etiam parricidam .  
 At Christianus qui deserit matrem suam, quam  
 CHRISTVS Sponsus fœdere æterno & insolubili  
 sibi iunctam, nunquam deseret; qui neque Ecclesie  
 matri suæ opem fert: imò è contra, qui illam per-  
 sequitur, probrisque & maledictis onerat; idem fa-  
 cit occidenti .

Age verò, Philotime; si nulla ratione diuina,  
 vel humana, quo saltem exemplo Iudaico vel Chri-  
 stiano, potuere Schismatici nostri deserere Eccle-  
 siam matrem suam; nè dicam ( vt fecerunt ) atro-  
 citer sæuire in illam? Percurratur fanè historia tota

Iu-



Iudaica; à lege lata in monte Sinai, vsque ad transmigrationem Babilonicam: & reperientur in illa, duo Schismata dumtaxat, damnata vtraque, & DEO vindice sæuiter repressa. Primum fuit, Core, Dathan, & Abiron; quod terra dehiscens continuo deglutijt cum auctoribus suis. Secundum fuit, decem tribuum Israél, quæ desciuerunt à Roboam. At Schismate ab illo, quanta & qualia mala euenerint decem illis tribubus, sciunt omnes, qui vel tantisper norunt Historiam Sâciam. Schismata quin etiam duo illa ortum habuerant, ex regnandi potius libidine, quàm immutandi quicquam in lege Moisaica. Cæterùm, quamuis Sorores duæ illæ inuicem diuisæ, Ecclesia Iudaica, & Ecclesia Israelitica, sese vtrinque fœdauissent idololatrijs horrendis, quas DEVS fornicationes & adulteria vocat: nescitur tamen vllum; vel Israelitam verum, abijisse vnquam ab Ecclesia sua Israelitide; vel Iudæum verum, secessisse vnquam à sua Iudaica.

De Ecclesia Israelitide adultera, luculentum hoc legitur in historia Eliæ, quando interpellabat DEVM aduersus Israelitas idololatrias. *Domine,* aiebat, *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & querunt animam meam.* Cui DEVS respondit: *Reliqui mihi septem millia Virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.*

Fal-

9

Fallebatur Elias, qui se putabat solum DEI veri cultorem in toto Israele; quia non nouerat septem illa Israelitarum millia, quæ DEVS sibi seruauerat incontaminata ab idololatria Baal. Quare autem non nouerat Elias septem illa virorum DEO electorum millia in Israele? Nimirum, quia Israelitæ illi non abierant à matre sua Israelitide, idololatra, quamuis & adultera: quia nullam secessionem ab Ecclesia & matre sua fecerant; quia nullum alium conuentum separatum ab illa sibi constituerant. Imò, quia in deprauatissimis Ecclesiæ illius suæ moribus, & periculosissimis deprauationis vniuersæ temporibus; vnusquisque illorum septem millium, sibi soli erat in secreto & in abscondito, Israelita verus, & verus DEI cultor: adeò vt nullus eorum, in suæ sibi religionis conscientia, amico & fratri suo fideret. Nullumque adeò illorum Elias nouerat, Propheta quamuis, & zelotes DEI acerrimus. Atqui nouisset illos omnes indubiè, si omnes illi iurauissent Ecclesiam & matrem suam adulteram, & si congregationes ab illa diuisas sibi habuissent.

Vocauit Ieremias Ecclesiam Israeliticam, *auer-*  
*satricem*: Sororem verò suam Iuda, *præuaricatri-*  
*cem*. Plus verò peccat præuaricatrix, quàm auersa-  
trix. *Ideòque iustificauit animam suam auersatrix*  
*Israel, comparatione præuaricatricis Iuda.* Jerem. 3.

b

Præ-

Præsumendum tamen est, DEVM sibi semper seruauisse apud Iuda præuaricatricem, sicut apud auerfatricem Israel; sua septem electorum millia, vitæ & conscientiaë integra, fornicationumq; matris suæ pura. Idololatrias nimirum eius maxime abhorrentia. Existimandum utique est, septem illa Iudæorum electorum millia, neq; Ecclesiam matrem suam vnquam eiurauisse, neque vnquam ab illa recessisse, neque vnquam Templum in monte Sancto positum deseruisse: quicquid peccaret præuaricatrix Iuda, quicquid oleret stabulum & fessibulum, & quicquid abominandum in Templum ipsum DEI inferret.

Ignoratur vsque in hodiernam diem, quid actum sit de Tribubus decem Israelitis, quas Salmanazar transtulit in Assyrios: quonam scilicet illæ abierint, & vbinam gentium illæ nunc sint. Reuersus verò populus Iudaicus à transmigratione Babylonica, restituit Templum in monte Domini, & celebravit in illo (vt solebat) suam Synagogam, vsque ad aduentum & natiuitatem Domini nostri IESV CHRISTI. At, quo tempore natus est Dominus noster, quantis amabo criminibus, & quantis abominationibus, infecta erat Synagoga Iudaica? Omnia in illa pessum ierant. Et Domino proficiente, Templum ipsum Domini mutatum erat in spelun-

luncam latronum. Seruauerat tamen sibi DEVS  
 in illa eadem Ecclesia corruptissima etiam tunc,  
 aliquot electorum millia, incontaminata ab omni-  
 bus illis latrocinijs & abominationibus. Et post-  
 modum ex illis, CHRISTO nato, caput suum exe-  
 ruerunt, Sanctissima VIRGO in primis, Sanctus  
 IOSEPH Sponsus Sanctissimæ VIRGINIS, ZA-  
 CHARIAS, ELISABETHA, SIMEON, AN-  
 NA, & cæteri qui aduentum CHRISTI Saluato-  
 ris expectabant, quibusque deinceps DEVS mun-  
 do illucescens se notum dedit. Nullusque ex illis  
 secessionem vquam fecit ab Ecclesia & Synagoga  
 impurissima: nullusque itidem deseruit Templum  
 Domini, pollutum quamuis latrocinijs & flagitijs.  
 Sed omnes electi illi vixerunt in medio Templi,  
 iuste & sanctè, secundum verum sensum legis Mo-  
 saicæ, non secundum fabulas & corruptas traditio-  
 nes Synagogæ. Vtcunque enim Scribæ & Pharisei  
 multis assumptis DEI præcepta, per Mosem &  
 Prophetas tradita, malè interpretarentur, & pieta-  
 tem in hypocrisin & superstitionem conuertissent;  
 nunquam tamen passus est DEVS errorem aliquem,  
 aut dogma receptæ à maioribus doctrinæ, aut fidei  
 contrarium, à Summo Pontifice toti Synagogæ ex  
 cathedra Mosis proponi. Vndè ipse CHRISTVS  
 monuit, opera quidem eorum haudquaquam imi-

tanda; doctrinam tamen quam ex Mosis cathedra prædicabant, seruandam præcepit. Ita scilicet malos Doctorum mores vitamque corruptam ab ipsa doctrina cautè distinguendam ostendit, & opera mali exempli ita fugienda, vt tamen à cathedra non discedas.

Voluit DEVS, quo pollet consilio, laxare quandoque habenas prurienti & lasciuenti Synagoga, illamque sibi ipsi permittere: sed non illam penitus deserere. Audi quæso, Philotime, Ieremiam de hac re loquentem ab initio capitis 3. *Vulgo dicitur, inquit, si dimiserit Vir Uxorem suam, & recedens ab eo duxerit Virum alterum; numquid reuertetur ad eam Ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es, non cum vno, aut altero tantum, sed cum amatoribus multis. Tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.* DEVS ergo suscepit tam clementer & benignè Synagogam, adulteram licet & transfugam, neque illam repudiauerit: Christianus autem reijciet Ecclesiam matrem suam, quæ CHRISTI Sponsa est; quæ Virgo casta, siue ruga & macula insignitur; quæ perhibetur fundamentum fidei, & columna veritatis; cum qua Spiritus Sanctus manet in æternum, eamque docet omnem veritatem; quamque propterea audiendam præcepit Dominus,

nisi quis Ethnicus & Publicanus haberi velit: Christianus inquam, qui filius est Sponsæ talis CHRISTI, talem matrem suam irreuerenter vsque adeò habebit, vt fornicariam illam dicat; illamque nomine illo procul à se ableget, & valere iubeat? DEVS ergo qui Sponsus erat, cuique adeò subiecta erat Synagoga Sponsa eius, inuitauerit suauissimè Sponsam suam, vt ad se rediret: Christianus autem qui filius est, quique adeò subiectus est Ecclesiæ matri suæ, abnegabit & repellet contumeliosissimè Ecclesiam matrem suam? DEVS ergo, cui licuit esse zelotypo, quia Sponsus erat, pepercerit indulgentissimè Sponsæ suæ: Christianus autem qui filius est, cuique erga Ecclesiam matrem suam, quam CHRISTVS acquisiuit & mundauit sanguine suo, honoris & obsequij officium solum relictum est; inclementissimè aget cum Ecclesia matre sua?

His certè rationibus inducti Patres antiqui omnes ex quo Ecclesia dicta & facta est Christiana; tanto honore profecuti sunt semper Ecclesiam matrem suam, vt post DEVM nihil supra. Percurraturque historia tota Ecclesiastica à CHRISTO mortuo; & nullus inuenietur in illa, vel Præful, vel Doctor orthodoxus Ecclesiæ, qui descuerit vnquam ab Ecclesia. Nullusque è contra notabitur hæreticus, qui non continuò Ecclesiam violauerit schismate,

te, quam antea conatus fuerat violare dogmate. In-  
uecti sunt quandoque Doctores orthodoxi contra  
nobiliora Cleri capita, propter eorundem mores  
corruptos: propter eorum puta vel inertiam, vel  
auaritiam, vel ambitionem. Clerumque ipsum  
corruptionis infimulauerunt, non in dogmate, quod  
iterum moneo, sed in moribus: ipsumque propte-  
reà multoties increpitauerunt, atque illi attribue-  
runt, quicquid scripsit Apocalypsis de *Muliere for-  
nicaria, quę sedebat super septem montes, circumdata  
purpura & coccino, & lapide pretioso, & margaritis;  
habens poculum aureum in manu sua, plenum abomi-  
natione, & immunditia fornicationis suę*. At quam-  
uis Patres illi Sancti quosdam Præsules, in moribus  
suis reprehensibiles, vehementer infectati sint: re-  
uerenter tamen habuere illi, & semper, Cathedram  
D. Petri, in qua iugi traditione residebat primatus  
Apostolicę dignitatis, concessus D. Petro; & in il-  
lo, Romanę Ecclesię moderatoribus: neque pro-  
pterea ab ipsa Romana Ecclesia vnquam defece-  
runt.

At inquit. Cur non licēbit Christiano emen-  
dare mores prauos qui corrumpunt Ecclesiam; si  
licet Medico curare morbos qui ægrotum vexant,  
imò tollere nāuos qui faciem dehonestant? Esto!  
liceat. Quod tamen negamus. Sed non cuilibet  
li-

liceat esse Medico. Tùm Medicus qui ægrotum curat, ægroto affidet, neque ægrotum fugit. Tu autem Christiane, qui Ecclesiam emendare voluisti, Ecclesiam deseruisti. Et qui Ecclesiæ nauos delere institueras, stigmata multò peiora maledictis tuis fronti eius inuisti. Adde, quod experti & prudentis Medici est, cauere in primis nè quando ægrotum sanat, ægrotum enecet: neuè etiam, quando putredinem è sanguine elicit, animam cum sanguine extrahat: neuè tandem, quando corruptos humores euacuat, vitales cum corruptis exhauriat. Sed neq; morbi omnibus remedia adhibenda sunt. Sunt enim morbi quidam maligni, qui remedijs irritantur: imò quibus remedium ipsum morte peius est. Qui lupias sollicitant, hoc sæpe proficiunt, vt lupias ipsas in carcinomata conuertant: fatiusq; multò foret lupia deformari, quàm carcinomate corrodi. Neque rursus omni tempore remedijs vtilicet: sed expectandum est opportunum illud, quo vel aëris intemperies curationem non recuset, vel ægroti dispositio remedij vim ferre valeat.

Vt expendatur diligentius opportunum tempus illud quod requiritur in emendatione Ecclesiastica, illaque perfecta: notari digna sunt, Philotime, quæ leguntur in historia Regum Iuda. Scriptum est de Rege Aza, cap. 15. Reg. 3. *Fecit Aza*



rectum ante conspectum Domini, sicut David pater eius. Abstulit effæminatos de terra, purgavitque Universas sedes idolorum, &c. Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Aza perfectum erat coram Domino, cunctis diebus suis. De Iosaphat filio Aza, scriptum est cap. 22. libri eiusd. *Ambulavit in omni Via Aza patris sui, & non declinavit ex ea, fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, &c.* Verumtamen Excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat & adolebat incensum in Excelsis. Eademque omninò leguntur de Regibus Iuda, DEO dilectis & electis, Ioa, Amazia, Azaria, & Ioathan, capitibus 12. 14. & 15. Reg. 4. Sed scriptum est de Ezechia electissimo, cap. 18. *Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat David pater eius. Ipse dissipavit Excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem aneum quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. Vocavitque nomen eius Nebustan: id est, aneum.*

Atque ut eliciantur ex historia hac quam præmissi, confectanea ad rem illam quam parò maximè conducentia. Sciendum est: Excelsa illa quæ non abstulerant Reges illi Iuda, qui boni omnes his locis perhibentur, quæque dissipavit Ezechias: fuisse delubra posita à Salomone primùm, in montibus  
& Ex-

& Excelsis; nuncupataque idolis vxorum & concubinarum alienigenarum, quibus cor Salomonis deprauatum fuerat. Fuisse itidem Fana alia quamplurima, consecrata deinceps Dijs cœteris exterarum gentium, à successoribus Salomonis, & Regibus Iudæa idololatriæ. Adeoque flagitium maximum fuisse, immolauisse in templis illis victimas, & adoleuisse incensa: siue illa obtulissent Iudæi, Dijs & abominationibus gentium; quod summum fuisset Iudæorum nefas: siue (quod probabile fuit sub Regibus illis bonis & pijs) DEO verò & summo sacrificauissent Iudæi in Excelsis illis. Piaculare namque hoc etiam Iudæis erat. Quia Iudæi, edicente DEO, immolare tantum & adolere debebant sacrificia & incensa omnia, in Templo ad hoc extructo in monte Sion. Deinde, quia DEVS oderat lucos & arbores, quibus Excelsa omnia consita erant. Interdixerat enim Deuteronomij capite 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini DEI tui: Quod odit Dominus DEVS tuus.* Peccabant ergo Iudæi quando sacrificabant & adolebant incensa in Excelsis: quamuis sacrificarent & adolent in illis, DEO vero & summo. Verum tamen Reges illi Iudæ, qui Scriptura sacra teste; fecerant quod erat rectum in conspectu Domini, & quorum cor perfectum fuerat cum Domino; non ab-

stulerant Excelsa illa. Quare verò non abstulerant  
 illa? Nimirum, quia fortè ferendum minus malum  
 putauerant Reges illi prudentissimi, vt malum ma-  
 ius auerteretur. Neque tentandos nimium Iudæo-  
 rum animos existimauerant, si commodam ratio-  
 nem, inueteratamque consuetudinem sacrificandi &  
 adolendi in pluribus locis, toti populo interdice-  
 rent: populumque omnem cogent ad antiquam  
 & strictam legem ascendendi in Ierusalem; vt sa-  
 crificarent & adolerent in Templo Domini: quod  
 propter hoc præcipuè extructum fuerat in vrbe  
 Principe. Quodque non ita commodum Iudæis  
 omnibus erat. Concesseruntque idcirco Reges illi  
 boni & pij Iudæis, vt in Excelsis sacrificarent & ado-  
 lerent: dummodò in iisdem DEO vero & summo  
 sacrificarent & adolerent. Et quamuis illud ipsum  
 foret contra legis vetitum; fatius tamen duxerant  
 Reges illi optimi DEVM in Excelsis, quam nus-  
 quam adorari. Credendum verò vtique est, Reges  
 illos optimos expectauisse opportunum magis &  
 commodum aliud tempus, quo emendationem per-  
 fectam Synagogæ absoluerent: reducerentque ve-  
 rum DEI cultum, ad locum illum quem DEVS sibi  
 solum ex omnibus alijs elegerat, vt inuocaretur &  
 celebraretur in illo. *Atqui non hominum est nosse  
 tempora & momenta, quæ DEVS posuit in sua potesta-  
 te:*

te: vt legitur Actor. 1. Tempus ergo illud dilatatum & referuatum fuerat ad regnum Ezechiæ, Regis electissimi: *Qui, vt scriptum est, dissipauit Excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem aneum quem fecerat Moses.*

Duo nos docet historia hæc. Primum, omninò debere verum Numinis cultorem durare in Ecclesia DEI, neque dum perfectè in moribus emendata. Secundum est. Nihil temerè sollicitandum in emendatione aliquot membrorum Ecclesiæ: Emendationemque illam summa cum prudentia, & religiosissima cautione procurandam. Expectandum potiùs summa cum patientia tempus, quod DEVS posuit in sua potestate; quodque propterea non positum est in potestate hominum; vt absoluta illorum emendatio ad vnguem perducatur. Quasi verò, nescio quis Homuncio, hanc prouinciam reformandi Ecclesiam sibi arrogare possit, quæ reuera, supremo dumtaxat Capiti, Christi Vicario incumbit: quasi verò Ecclesiam non deformet potiùs, quàm reformet, quisquis errorum venenum illius membris porrigit.

Neuè putes, Philotime, quæ scripta sunt de Ecclesia Iudaica, non posse aliquo modo extendi ad Ecclesiam Christianam. Attende quæso ad Parabolam quæ legitur cap. 3. Euangelij secundum

Matthæum: de inimico qui superfeminauerat zizania in agro Domini, quæ Ecclesia Domini est. Serui autem Domini dixerunt ei: *Vis eamus, & colligamus zizania?* Et ait Dominus: *Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum cis & triticum. Sinite Utraque crescere vsque ad messem. Et in tempore messis dicam messoribus. Colligite primum zizania, & alligate illa in fasciculis ad combustionem: triticum autem congregate in horreum meum.* Attende, inquam, Philotime, ad verba illa: *Sinite zizania crescere cum frumento, vsque ad messem.* Atqui Schismatici nostri temerè prætenderunt colligere zizania, & secernere illa à tritico ante messem. Ergo & ante tempus quod DEVS posuit in sua potestate ad combustionem zizaniorum. Quodque tempus non est in potestate seruorum (seruorumque nequam multò minus) sed vnius Domini.

Atque vt intelligas, Philotime, quo tempore Schismatici nostri prætentam Ecclesiæ emendationem adorti sint. Negant Medici quicquam mouendum esse in agro corpore, cum febris æstuat. At illi Camarinam reformationis suæ mouerunt; quo tempore per totum ferè Christianum Orbem fœuaret amor ferri, & scelerata belli infania. Vbi verò intempestiuus Religionis zelus superfœuijt; tum demùm ab infania ad furorem ventum est.

Ma-

*Magno Veluti cum flamma fragore,  
 Virgea suggeritur costis Undantis aheni:  
 Exultantque estulatices: furit intus aque Vis:  
 Fumidus atque altè spumis exuberat amnis.  
 Nec iam se capit Unda: Volat Vapor ater ad auras.*

Tutè scis, Philotime, quanta tempeestas diluuiio  
 ex illo sese vndique effluderit. Et tutè scis quantum  
 puri sanguinis eliquauerit ex illo Ecclesia, per ea-  
 dem vulnera quæ illi fecerunt Reformatores eius, vt  
 quam falsò putabant putridam illi inesse faniam,  
 è venis eius elicerent. Neque te fugit quantum suc-  
 ci radicalis exhalauerit ex illo Ecclesia, cum humo-  
 ribus quos expressit, in pharmacis quæ Medicorum  
 violentissimi illi miscuerunt, vt quod imaginaban-  
 tur in illa corruptum euacuarent. Enecauerunt sci-  
 licet, tum in se, tum in alijs multis membris, quam  
 sanare instituerunt. Toxicæ fuerunt quæcunque re-  
 media infelicissimi Empirici illi, Ecclesiæ adhibue-  
 runt. Et verrucas extirpare tentantes, caneros inge-  
 nerauerunt, quibus Ecclesiæ portio exesa est. Ita  
 vt ex illo, nullus adè sit neque aspectus, neque de-  
 cor, huic miseræ ac rescissæ rerum Christianarum  
 parti; formosissimæ quondam, nunc verò exhau-  
 itissimæ & corruptissimæ. Intempestiui agricolæ  
 qui Domini fundum, contra Domini vetitum, farrire

voluerunt; multum frumenti & nihil lolij effoderunt. Instauratores verò audacissimi, qui facta tecta Ecclesie præstare susceperunt: cum purum ab impuro, pretiosum à vili & sordido; aurumque & argentum, à stipula & fœno, diligentius dicamine vel intemperantius, secernere fategerunt; ædificium ipsum concusserunt, Ecclesiamque Christianam per totum ferè Christianum Orbem imminuerunt. *Et nisi Dominus Exercituum reliquisset sibi semen in Ecclesia Catholica, quasi Sodoma fuissimus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Isaiaë 1.

Peccauit ergo Calvinus (nihil mihi iam cum Luthero est). Primò: quando secessionem fecit ab Ecclesia Catholica. Nam si Romani milites diuidentes inter se vestimenta Christi, tunicæ eius percerant, fortemque super illam miserant: debuerat Calvinus parcere corpori ipsius Christi, neque illud diuidere in diuisione Ecclesiæ. Peccauit secundò, quando inauspicato, emendationem Ecclesie suscepit: contra vetitum Domini, & contra præceptum Apostoli. Peccauit tertio, quando in pratensa emendatione Ecclesiæ, mutilauit & deformauit quodcunque reformare voluit. Inconsiderantius enim, & atrocius securim rotans, quod erat optimum visuque pulcherrimum, in honestis vndique vulneribus detruncauit. Peccauit denique cum in-

nu-

numeros errores mundo peperit, non sine incredibili animarum & gregis Dominici strage; nempe ille non modò emendationem morum, sed huius obtentu, reformationem præsumptam dogmatù dolosè susceperat. Quo euentu iam diù patet. Nam non modò nihil quod ad mores pertineret, emendatius attulit; sed suorum quoque Sectatorum mores corrupit; quos malorum mille ministros contra Catholicos adhibuit. Nec etiam dogmata, vt præsumpsit, reformauit, quæ in Ecclesia erroris ne scia reformari non possunt: sed vt dixi, multis erroribus se & suos implicuit. Hoc verò vt breuiter demonstrarem, Philotime, non omnia perambulabo, quæ ille malè reformando malè mulcauit, sed quædam tantùm & summotenus attingam.

Paulus Apostolus de Iudæis loquens, hæc ait cap. 9. ad Romanos. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Quod verò legitur in vulgata, *Obsequium*: in archetypo *καθῆκον*, & cultus diuinus est, Cultus ergo diuinus Iudæorum erat. Non omnia, scilicet quæ habuerunt Iudæi, abiecerunt Christiani. Et inter nonnulla quæ habent à Iudæis, retinent etiam nunc *καθῆκον*, & cultum diuinum. Non cultum quidem illum quem adhibebant Iudæi in ceremonijs illis, quæ figuræ tantùm erant veritatum il-

la-



larum Christianarum quas reapse possidemus. Sed retinent Christiani eundem illum patriæ cultum, qui adhibebatur in cœremonijs illis, quæ figuræ erant veritatum illarum cœlestium; quarum multas habemus sub Euangelio, alias speramus veriùs quàm possidemus.

Nemo est qui nesciat, Philotime, sacratissima redemptionis nostræ mysteria, significata olim fuisse in lege Mosaica, per symbola omnium expressissima, aquam, ignem, oleum, sal. Per aquam, quæ representabatur peccatorum nostrorum ablutio. Per ignem, quo exprimebatur sanctificatio nostra, quæ lucere debet sicut ignis. Per oleum, quo significabatur vnctio electionis nostræ, & penetratiua Spiritus Sancti in animas nostras immissio. Per sal, quod incorruptionem & immortalitatem nostram sapiebat. Quæ scilicet symbola à Iudæis vsurpata, retenta, neque reiecta fuerunt à Christianis, quæ totus Orbis Christianus fuit, ab Apostolis ipsis posuit; quæque hodie Latinus & Græcus est. Symbolorum quippe illorum ea vis & virtus erat; vt illis etiam nunc graphicè representetur sub Euangelio, perfecta peccatorum nostrorum ablutio, perfecta sanctificatio nostra, plena Spiritus Sancti in animas nostras immissio, perfecta incorruptio & immortalitas nostra. Quæ tamen symbola, vt & cultum omnem  
di-

diuinum à Iudæis deriuatum, & ab Apostolis ipsis institutum; Caluiniãna reformatio sic amputauit, vt sanctissima & sacratissima illa omnia, ense inimico, & audacissimo facto, penitus hauserit.

Tres electissimorum hominum ordines, à Iudæis & mandato DEI, oleo quondam vngi solitos, notum est. Reges, Prophetas, & Sacerdotes. Quod Ecclesia omnis Catholica etiam nunc consuevit, in Regibus & Sacerdotibus oleo vel chrismate consecrandis. Caluinus autem non solum Sacerdotum vnctionem, quæ fit oleo sacro, abstulit: Sed, quæ fuit audacia hominum confidentissimi, Sacerdotes ipsos à sua reformatione procul abegit: ordinemque ipsum Sacerdotalem prorsus eliminauit. Instituerant Apostoli Presbyteros & Episcopos, à quibus res omnis sacra, & quicquid in Ecclesia iuris Sacerdotalis esset, perageretur: præfecerantque Diaconos & Ministros, qui minoribus Ecclesiæ muneribus sufficerentur. Inuertit institutionem Apostolorum Caluinus. Ministros scilicet instituit illos, qui debuerant esse Presbyteri: mutauitque Diaconos & Ministros, in Presbyteros.

Illud tamen præceperat S. Paulus Philippensibus cap. 3. *Vt idem saperent, & in eadem permanerent regula.* Quam regulam vocauit *formam*, loco eodem, vbi ait: *Imitatores mei estote, & obseruate;*

sd

d

eos

eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Formamque illam tradiderat Apostolus, sermone & epistola: sicut scriptum est Thessal. 2. c. 2. Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Calvinus autem paruipendit, & regulam, & formam, & traditiones, quas didicerat Ecclesia, siue per sermonem, siue per epistolam S. Pauli, & reliquorum Apostolorum. Melius, peius, prodesset, obesset, nihil vidit ille in Reformatione sua, nisi quod lubuit. Non enim hoc sibi proposuerat, vt Reformati sui occurrerent in vnitatem fidei, regulæ, & formæ Apostolicæ cum Catholicis. Imò è contra: vt diuersi penitùs abirent à Catholicis, in fide, in regula, & forma Apostolica. Quod S. Pauli præcepto planè aduersari fuit. Edixerat enim S. Paulus Ephes. 4. Solliciti estote seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma. Vnus DEVS, & Pater omnium. At Calvinus sollicitus fuit soluere vnitatem spiritus gladio Schismatis. Diuisit ille corpus Ecclesiæ: diuisit ille spem vocationis nostræ: diuisit ille Dominum nostrum. Non eadem est per illum, apud Christianos omnes regula fidei Christianæ: non eadem est per illum, apud Christianos omnes forma Christiani-  
 ba-

baptismatis: neque per illum vnus DEVS est Christianorum omnium.

Audi verò, Philotime, integram hominis audaciam! Non contentus Calvinus rupisse vnionem Ecclesiæ; ipsum quoque sanctissimum vnionis Sacramentum violauit, aut potius sustulit. Non admisit ille transubstantiationem Catholicorum Latinorum, quæ eadem ipsa est *μετέσχησις*, siue transelementatio Græcorum benè intellecta. Quam scilicet transelementationem fieri asseuerabant Christianorum antiquissimi, in consecratione panis: momento scilicet illo quo concepta Consecrationis verba super pane dicerentur. Quæstionem illam exagitaui Calvinus, nodumque eius sacrilegio resoluit (absit verbo contumelia). Consecrationem nimirum ipsam de Reformatione sua omninò sustulit: contra institutum, contra vsu, & contra vnanimem consensum totius Ecclesiæ Christianæ; quæ Consecrationis canonem possidet, à principio adeò vetusto, vt nullum principio illi determinetur signatè principium. Imò contra institutum ipsum Domini, qui Consecrationem illam fecit, quando Sacramentum Corporis & Sanguinis sui instituit. Scriptum enim est disertissime, Dominum accepisse panem: deindè, benedixisse pani: quod est *Εὐχαριστία*: vnde *Eucharistia* ipsa dicta est. *Fregisse deinceps* &

*distribuisse*. Calvinus autem accepit panem. Et missam faciens benedictionem & consecrationem, continuo fregit panem, & distribuit. Atqui benedictio & consecratio Eucharistiam faciunt. Ergo, quando Calvinus Eucharistiam suam sine benedictione & consecratione instituit: Eucharistiā ipsam (quod monstrum est) sine Eucharistia celebravit.

Accipe igitur, Philotime, audacias & confidentias Calvinianæ reformationis omnino extraordinarias. Et ex illis paucissimis quæ hic breuiter perstrinxi, discce omnes eiusdem in reliquis alijs, precipitancias, intemperantias, & ἀλογίας. Hæc autem præ cæteris indicavi, in quibus tota eius, si quæ tamen est, religio quasi in duplicato cardine vertitur. Imò inquires. Quare ergo consenuisti in Caluini Schismate & reformatione; tu qui Schisma & reformationem Caluini tantopere exosam habebas? Propter hoc ipsum, Philotime. Schismata namque tantopere semper auersatus sum, vt Schisma facere in Caluini etiam schismate refugerim. Et nisi DEVS rerum humanarum arbiter, me inde manu apprehensum eduxisset; torperem adhuc in veterno. Non quia feritatem Schismatis induissem, deposuissemque animum redeundi ad sinum Ecclesiæ Catholicæ, Sed quia falsò existimabam licitum mihi fore perseuerare in Ecclesia Schismatica, & matè re-  
for-

formata, in qua natus eram: procurando, vel saltem expectando tempus in potestate DEI positum, quo reditus vniuersalis fieret Schismaticorum omnium ad Ecclesiam Catholicam. Et tutè sis, Philotime, quàm maximè illud in votis semper habuerim.

<sup>supra</sup> Totum ergo DEI est, & totam illi habeo gratiam; quòd ante tempus illud, exoptatum à me expectatumque ardentius, conuersus sum ad Ecclesiam Catholicam: quam scilicet experior nunc Matrem meam dulcissimam, quamque veneror & toto pectore amplector. Non enim consilio maleuolo, sed DEI voluntate factus sum Catholicus. Et quicquid durum in me consultum putaueram, illud DEVS vertit in melius, & pro mea salute factum voluit. Benedictum sit Nomen eius in sæcula.

<sup>ante</sup> HABES, Philotime, causas quæ me fecerunt Catholicum. Exponendæ illæ restant, propter quas eiurauerim librum quem edideram de Præ-Adamitis. Quas vt summam & verbo comprehendam. Liber ille meus, causa fuit conuersionis meæ. Et vicissim; conuersio mea, causa fuit abiurationis, quam feci libri illius mei. Sed & illud clariùs explicandum est.

<sup>hic</sup> Nouisti, Philotime, quomodo in Præ-Adamitis meis inquirendis, viam institerim extra vias omnes omnium retro Theologorum, quotquot fuerunt.

ab Apostolis. Hoc nimirum malè habuit Theologos eosdem omnes, in quascunque Sectas hodiè diuisi sunt. Quique omnes, in alijs dissentientes, in hoc verò consentientes, & agmine facto, irruerunt in librum meum: illumque oppugnaverunt auctoritatibus omnibus SS. Patrum, Sacrosanctorumque Conciliorum; nec non vniuersali consensu totius Ecclesiæ Christianæ. Poteram fortasse utcumque repugnare, Philotime, si mecum egissent humanis argumentis, non auctoritatibus. Sed cedendum omninò mihi fuit auctoritati tantarum auctoritatum. Nec deliberaui, vtrum auctoritati cederem. Sed in illo hæsitauì & suspensus fui. Cui auctoritati cederem, & cui me dederem.

Hoc verò in primis me malè vrebatur. Quòd Lutherani & Calvinistæ omnes, easdem machinas in me mouissent, quas retundere conantur in Catholicis; qui illos auctoritatibus ipsdem SS. Patrum & Conciliorum orthodoxorum nequicquam obruunt. De Lutheranis quidem; & de suo (quem mihi occinebant) Luthero, parum mouebar, Philotime; quia non eram de grege illo. Quid enim mihi erat cum Doctoribus vino recoctis? De Calvinistis autem, quia Calvinista eram, hæc mihi ipse dicebam. Quid mihi illi recitant suum Calvinum, & suos Caluini affeclas; vt subijciar illorum auctoritati, qui subijci

nolunt neque Patribus, neque Concilijs, neque adeò  
 Ecclesiæ ipsi Catholicæ? Atque vt nulli auctorita-  
 ti subiiciuntur, nulla vicissim & illis auctoritas con-  
 cessa est. Corpus enim Sectæ illius sine capite est.  
 Aut potiùs, corpus anomalum est, cui plura sunt  
 capita quàm membra. Quorum verò Calvinista-  
 rum auctoritati me submittam? Anne Calvinista-  
 rum Batauorum? Sed illi, mille trahunt varias ad-  
 uersis sententijs opiniones. An Puritanorum An-  
 glicanorum? Apage verò monstrum dissensionis  
 & confusionis horrendum, quod hodie regnat in  
 Babele illa. Anne ad Germanos, anne ad Helue-  
 tios me conuertam? Sed nihil mihi cum Germanis,  
 nihil cum Heluetijs est. An verò ad meos Refor-  
 matos, quos vocat, & quos habet mea Gallia, me  
 conferam? Sed neque illis benè conuenit. Pauca  
 admodum Reformatis illis sunt Academiae in Gal-  
 lia: atque illæ pauca, in pluribus differunt: illo-  
 rum Ecclesiæ super illis, in contraria studia, & di-  
 uersas partes diducuntur.

Quæ verò est illorum auctoritas, vt me illis su-  
 biiciam, & ad quorum tribunal cum securitate con-  
 fugiam? Hoc est, vt possim tale de illis sperare iudi-  
 cium, quod summæ auctoritatis sit; à quo nulla detur  
 prouocatio, & contra quod nulla fiat Iurisdictionis  
 vindicatio: quodque vbi vsum erit, rigorem iuris



lenire, & secundum bonum & æquum decernere valeat. Mea namque causa talis est, vt talem summam auctoritatem Iudicibus suis optare debeat. Summæ autem dementiæ esset, summam illam requirere auctoritatem iudicandi de Religione, in Doctoribus Reformatis, illisque præcipue Francis; qui subditi sunt REGI CHRISTIANISSIMO, & filio Ecclesiæ Catholicæ primogenito: cuiusque adeò conscientia commissum est, cauere in primis ne quid detrimenti Religio Catholica accipiat.

Finge enim ( aiebam mihi ipsi ) te stare coram Doctoribus Reformatis, vt vocant, Francis: teque illorum fidem & conscientiam appellare, vt iudicent de te, & de libro tuo; non secundum præiudicia, vel sua, vel aliena; sed secundum rationem, quam sequi profitentur, & super quam notum est totam Caluini Sectam fundatam esse. Fac etiam illos ( vt fert eorum genius ) tangi intrinsecus, & induci posse tuis rationibus, vt tibi & libro tuo faueant. Putasne illos vnquam ausuros expromere sensum suum intrinsecum de te, & de libro tuo? liberumque & integrum illis fore, sententiam de te ferre, summa illa cum auctoritate, quæ absoluta esse debet in condemnando & absoluendo? Frustra es si id putas. Auctoritatem certè sibi arrogabunt te condemnandi. Sed nullam prorsus habebunt te absol-

uen-

uendi. Neque si maximè cupiant, te absoluere audeant. Quia neque liberum, neque integrum illis erit, absoluere de errore qui fidei Catholicæ aduersatur, quique repugnat Caluino ipsi. Cuius nimirum Secta toleratur in Gallia, neque heterogenea alia apud illam admittitur.

Infamiam ergo si me vtrò submittam auctoritati illorum, quibus pro certo sciam nullam esse auctoritatem, nisi præsentam in condemnando; nullam verò in absoluendo. Neque prætereundum est, Philotime, quod mihi renuntiatum erat; quàm mala mens esset, & quàm malus Reformationum meorum erga me animus: de quo non dubitabam. Atqui, aiebam, necesse omnino est vt auctoritati subijciar. Non enim datur apud Christianos individuum vagum, & auctoritate liberum. Nullaque alia auctoritas est, ad quam tutò confugiam, quæque plena & absoluta sit; præter auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, quæ residet in summo & Romano Pontifice, tanquam in suo capite. Qualis est Papa noster ALEXANDER VII. nomine & re Sanctissimus.

Ille etenim, Philotime, verus est Seruus DEI Eliacim, de quo Isaias cap. 22. *Qui prepositus est in Templo DEI: qui indutus est tunica, Et confortatus est cingulo Sabnæ, Pontificis Summi Iudaici. Cuique*

DEVS

DEVS dedit clauem domus David super humerum eius. Qui aperit, & non est qui claudat: & claudit, & non est qui aperiat. Locus eximius & singularis Veteris ipsius Testamenti, quo designatur euidentissime translatio Pontificatus Summi Iudaici, ad Christianum D. Petri. Expellit enim DEVS loco illo Sobnam, Pontificem summum Iudaicum, de Statione sua, & de ministerio suo deponit eum; vt det potestatem eius Eliacim filio Helciae. Eliacim enim ille, cui DEVS dat clauem domus David, apud Prophetam; S. Petrus fuit, cui Dominus idem dedit clauem regni caelorum, apud Euangelistam.

Confugi ergo, Philotime, ad auctoritatem Summi & Romani Pontificis, Successoris D. Petri: vt potè ad illam solam quæ aperit, & non est qui claudat; quæ claudit, & non est qui aperiat. Qua nulla datur potior in toto Orbe Christiano, cuique nulla alia par dari potest, in illis quæ ad fidem Christianam & mores spectant: quæque me potuit condemnare & absoluere, vtrumque verò absolutissime, summo suo iudicio, & à quo nulla datur apud Superiorem prouocatio. Neque illud tantum debui, Philotime, secundum bonam mentem, & secundum bonam ipsam conscientiam, confugere ad auctoritatem Summi & Romani Pontificis, SANCTISSIMI PATRIS nostri, in iudicio libri mei, & mei ipsius

ipsius super libro meo. Imò illud etiam facturum  
repperam, libro illo de quo agebatur. Multoties  
enim in illo, verbisque conceptissimis edixeram;  
*Me, meaque omnia obsequenti & cæca religione sub-*  
*missurum Magistris & Dominis meis, Doctoribus or-*  
*thodoxis, penes quos ius esset summum inquirendi &*  
*statuendi de Theologicis.* Quales nempè Iudices sum-  
mos delegare solet Summus Pontifex Papa noster  
beatissimus. Imò & quales solus delegare potest.

Sed enim, Philotime, ex quo me submissi au-  
toritati Summi & Romani Pontificis, pro iudicio  
libri mei: ex eo etiam me commendavi, & tradidi,  
in clientelam & fidem Ecclesiæ Catholicæ, cuius  
Summus & Romanus Pontifex, Papa noster beatif-  
simus, Caput est. Ad quam scilicet Ecclesiam Ca-  
tholicam continuò me conuerti, & cui illicò me de-  
di. Verissimumque adeò est quod prædixi: li-  
brum illum meum causam fuisse conuersionis meæ  
ad fidem Catholicam: & vicissim, conuersionem  
meam ad fidem Catholicam, causam fuisse abiura-  
tionis quam feci libri eiusdem mei. Liber meus  
conuersionem meam fecit. Et conuersio mea ab-  
iurationem fecit libri mei. Non enim potui fieri  
Catholicus, quin eiurarem librum illum qui apertè  
repugnabat auctoritati & sensui Ecclesiæ Catholicæ.

Non defugio, Philotime, quin Præ-Adamitas

meos

meos plūs oculis meis quondam amauerim. Sed  
 scandalum tantò plūs etiam semper odi. Et malui  
 oculum eijcere, quàm scandalum inferre Ecclesiæ,  
 erroremque in sinu fouere. Sat habui quod per-  
 suasi me non malo fine illos cogitauisse. Et re ipsa  
 comprobauit (quod re ipsa feci) me illos bona fide  
 censuræ Ecclesiæ Catholicæ submisisse. Coetera  
 quæ ad librum eundem pertinent, quæque super il-  
 lo mihi euenerunt; perlege, Philotime, in depre-  
 catione quam deposui ad pedes SANCTISSIMI  
 PATRIS nostri, vbi Romam adueni. Quamque  
 illi vt tibi, cœterisque amicis meis, notam facerem,  
 ad calcem huius Epistolæ edendam cu-  
 rari. Vale, & me amare

perge.



DE-

DEPRECATIO  
ISAACI PEYRERII.

AD  
SANCTISSIMUM PATREM

*Nostrum, Pontificem Optimum*

*Maximum,*

PAPAM  
ALEXANDRUM  
SEPTIMUM,

Super Libro edito, cui titulus est,

*Præ-Adamitæ, &c.*

PATER SANCTISSIME.



ATIONEM redditurus de Libro  
edito, cui titulus est, *Præ-Adamitæ*,  
propter quem compellor ante pedes  
SANCTITATIS TVÆ. Primum  
hoc fateor. Me huius Libri Aucto-

A

rem

rem esse. Quod non dico arroganter: sed gloriam daturus DEO, qui DEVS veritatis est. Et debita cum submissione, debita utique cum reuerentia, totum me subijciens iudicio & decreto SANCTITATIS TVÆ; qualecunque de me, & de Libro meo futurum erit.

Confidentiam certè meam, PATER SANCTISSIME, non facit tenuitas mea. Sed totam mihi præstat benignitas TVA; quæ benignitatem DEI imitatur. Cuius scilicet Iustitia adeò misericors & benigna est; ut pœnam etiam infligendo, pœna iuuet, recreetque peccatorem. TVA igitur benignitate fretus, PATER SANCTISSIME; oro TE suppliciter hanc veniam: ut quæ dicam de Libro illo de quo agitur, & de proposito quod habui in illo scribendo; tam candidè ad aures SANCTITATIS TVÆ perueniant, quàm simpliciter, & quàm bono (saltem vt putabam) fine, à me cogitata, & scriptis mandata fuisse, ingenuè & sine fuce, dehinc aperiam.

Duo dicam de Libro edito. Quæ me causæ ad illum scribendum impulerint. Tum, quæ me ratio ad illum edendum mouerit.

Ad primum: quod est de causis, quæ me ad scribendum impulerunt. Illas ego, PATER SANCTISSIME, ita tractabo, vt non stabilire videar, quod absit; sed ostendere, quæ illarum

fa-

facies mihi apparuerint; mihi que illuserint.

Fateor itaque, PATER SANCTISSIME, coram SANCTITATE TVA, tanquam coram DEO, cuius imaginem SANCTITAS TVA gerit in Ecclesia DEI: me non latuisse hypothesim quæ mihi venit in mentem, de primis hominibus ante Adamum conditis; diuersam penitus abesse ab opinione SS. Patrum, nec non aberrauisse toto orthodoxorum Conciliorum canone: totamque doctrinæ Christianæ fabricam de homine lapso, & redempto; fundatam fuisse à Patribus, & Concilijs, super hypothesi de Adamo primo omnium hominum formato; à quo deinceps totum humanum genus per vniuersas terrarum plagas effusum & propagatum esset.

Sed reputet SANCTITAS TVA, pro sua mansuetudine & æquitate: me tempore in illo quo talem hypothesim cogitavi & concinnaui, de grege Caluini sectatorum fuisse: Sectamque Caluini solam, causam præbuisse tali errori meo. Quamuis enim Secta illa talem errorem apertè non profiteatur: Illud tamen, PATER SANCTISSIME, palmarium est apud omnes Caluini sectatores, paruipendere auctoritatem SS. Patrum, & Sacrosanctorum Conciliorum: si quid illis videatur apud Patres & Concilia, non conuenire cum sua vel ratione, vel



4  
interiori spiritus sui emotione; vel non congruere  
cum illo vero, quem sibi fingunt, sacrarum literarum  
intellectu.

At, qua ratione Calvinus detrectauerat aucto-  
ritatem Patrum & Conciliorum: Idem mihi licere  
de Caluino putabam, quod illum de Patribus &  
Concilijs sibi arrogauisse noueram. Neque hæren-  
dum Caluino ipsi existimabam, qua parte hæserat  
Patribus & Concilijs in vulgata hypothefi, de Ada-  
mo primo omnium hominum formato: si hypo-  
thesi de primis hominibus ante Adamum creatis,  
mihi videretur conueniens magis, & rectæ rationi, &  
genuino totius Scripturæ sacræ intellectui. Quidni  
enim, secundum regulam iuris æquissimam & vul-  
gatissimam, eodem iure in Caluinum ipsum vterer,  
quod & ipse in Patres & Concilia statuisset?

Atqui hypothefis de primis hominibus ante  
Adamum conditis, mihi videbatur conueniens ma-  
gis, & rectæ rationi, & genuino totius Scripturæ sa-  
cræ intellectui. Quod pluribus, PATER SAN-  
CTISSIME, toto meo Opere ostendere conatus  
sum: neque eadem refricare hoc loco refert. Ergo,  
qua ratione Calvinus Patres & Concilia neglexerat,  
in stabilienda secta sua: ita & negligendum Cal-  
uinum duxeram, in stabilienda mea hypothefi. Ex  
recta scilicet ratione, & genuino (qualis mihi tunc

ap-

5  
apparebat, incautè sanè erranti) sacrarum literarum intellectu.

Verum enimvero: quanquam mihi ipsi falsò persuaderem, hypothese[m] traditam à Patribus & Concilijs, de Adamo primo omnium hominum creato; vulgato magis consensu, quàm exquisita rei ipsius veritate fuisse creditam. Non tamen interea dubitavi vnquam, PATER SANCTISSIME, quin verissimè & sanctissimè scripta & decreta fuissent, quæcunque super hypothesi illa, Patres Sanctissimi, & Sacrosancti Conciliorum canones scripsissent & decreuissent; de Fidei capitibus, & de mysterijs Christianis omnibus ad salutem nostram spectantibus.

Non dubitandum siquidem existimaueram, PATER SANCTISSIME, quin verissima & sanctissima doceri & decerni potuissent, super hypothesi falsa. Quod pateret exemplo in Astronomicis comprobatissimo, duarum hypotheseon, de motu cœli, & de motu terræ: quarum altera certissimè falsa esset. Ad vtramque tamen verissimè accommodaretur totus cœlorum ordo, & quæcunque de illo ordine demonstrarentur. Imò nihil apertius & vulgatius occurrebat in disciplinis omnibus demonstrabilibus, demonstrationum omnium verissimas & certissimas, fundatas esse super hypothesibus falsis. Quin & falsis positis & creditis. Ni-

6  
Nihil ergo prohibebat ( vt mihi videbatur ) cre-  
didisse, capita fidei Christianæ omnia quæ ad salu-  
tem nostram spectarent; potuisse accommodari ad  
hypothesim, quam mihi persuadebam parum per-  
spectam, de Adamo primo omnium hominum  
formato. Ex tradita, vt mihi verisimile tunc erat,  
Iudæorum illorum opinione: qui sibi ipsis, & pri-  
mis Patribus nostris Christianis persuasissent; mo-  
re, aut potius vitio illo humano, quo se gentes om-  
nes gentium aliarum omnium primas & antiquissi-  
mas semper professi sunt; gentem suam Iudaicam  
gentium omnium fuisse vaginam. Atque adeo pa-  
trem suum Adamum ( de quo certissimè constaret  
auctorem & patrem suum fuisse ) fuisse itidem au-  
ctorem & patrem omnium hominum.

Non illud certè Copernicus sibi proposuerat,  
PATER SANCTISSIME, cum celebre suum Sy-  
stema Astronomicum super hypothesi de motu ter-  
ræ institueret: euertere diuina inuenta & obserua-  
ta omnium retro Astronomorum, quæque super illis  
excellenter in modum demonstrauerat Ptolemeus.  
Noluerat, inquam, ille inuertere per suam hypothe-  
sim, mirabilem illum qui apparebat rerum omnium  
cælestium ordinem: confundere ortus & occasus  
syderum: interturbare cursus & recursus, phases,  
theorias, aspectus, & configurationes; tum quas  
pla-

planetæ ipsi inter se componunt, tum quas illi cum  
 Stellis fixis occurribus suis repræsentant. Imò illa  
 mens fuerat speculatissimo Astronomo, tenorem  
 eundem rerum omnium cœlestium retinere: & quas  
 de illis Ptolemeus demonstrationes, secundum ve-  
 terem hypothesim de motu cœlesti, edisset; com-  
 modiores tantum, breuiores & clariores, secundum  
 nouam suam de motu terræ positionem, falsam li-  
 cet, animis & sensibus Astronomorum omnium  
 exhibere.

Neque illa mens mihi fuit vnquam, PATER  
 SANCTISSIME, (absit enim vt talem vnquam,  
 & nefandam aded concipiam) abnegare Scripturas  
 facras, neque illarum sensum contorquere, neque  
 fidei Christianæ capita vlla quæ ex Scripturis facris  
 eliciuntur, conuellere; nec quæ de illis ad salutem  
 nostram pertinentibus, sanctissimè scripserunt  
 SS. Patres, & orthodoxi Conciliorum canones de-  
 creuerunt, vel in minimis concutere. Quin è con-  
 tra, illa eadem solidiùs multò & firmiùs, vt clariùs  
 & expeditiùs, demonstrari posse malè putau-  
 ram, ex noua hypothesi de hominibus ante Ada-  
 mum conditis; quàm explicata fuissent de Adamo  
 primo omnium hominum formato.

Hoc igitur per inconsultum errorem apud  
 me reputabam, PATER SANCTISSIME, hypo-  
 the-

thesim hanc nihil omninò officere potuisse Religio-  
ni Christianæ . Imò ex aduerso multum conducere  
ad elucidationem Scripturæ sacræ, & mysteriorum  
fidei Euangelicæ . Concordare etiam miris modis  
cum historijs omnibus Gentium retroantiquissima-  
rum . Tùm verò cum opinione illa, quam tamen  
falsam reputo, de æternitate mundi; si non absolu-  
ta, saltem de indeterminato principio, quo Philoso-  
phi antiqui asseuerabant mundum fuisse conditum.  
Et, quòd non parui momenti mihi videbatur; tolli  
apparebat ex hac eadem hypothesi, controuersiam  
omnem de origine gentium illarum; quas vel pa-  
tres nostri superioribus paulò seculis penetrauerunt;  
vel quas detectas tantùm & delibatas, neque dum  
etiam penetrauimus, neque adeò nouimus, quales,  
& quantæ sint, & à quibus oriundæ .

Quia verò talia quamplurima animo meo diù  
obuersata, aliquam veritatis speciem præse ferebant.  
Fateor, PATER SANCTISSIME, me illis omni-  
bus fuisse adductum; vt quas de noua hac hypo-  
thesi, varias, multiformes, & confusas imagines  
conceperam, scriptis mandarem, tentaremque re-  
digere illas ad formam congrui & dilucidi Syllema-  
tis. Qualis, PATER SANCTISSIME, hæc est  
prima pars de qua agitur, typis exarata, & in lucem  
edita, Cuius scilicet editionis causa iam mihi red-  
den-

9

denda est. Et explananda ratio, quæ me ad euul-  
gandam partem imperfecti Operis impulerit.

*Ac primùm*, PATER SANCTISSIME, me  
non spontè, sed quodammodò inuitum, Partem il-  
lam primam publici juris fecisse; illud ipsum indi-  
cio maximo poterit esse, quod Opus imperfectum  
erat. Atque vt rem, qualis est, apertius dicam.  
Absolueram Partem illam primam, quo tempore  
Serenissimus Princeps CONDÆVS, Dominus  
meus, discessit è Gallijs, & in Belgium cum exercitu  
suo mouit. Officij & obsequij mei erat, sequi tan-  
tum Principem Dominum meum. Omni igitur  
deposita Operis mei cogitatione & cura, discedens  
eodem tempore Lutetia, commendaueram amico  
meo compactum de hac noua hypothesi codicem  
manu mea scriptum. Obtestatusque eram illius fi-  
dem, nemini copiam faceret scripti mei: redderet-  
que, si quando in Galliam rediens, vltimam toti  
Operi manum imponere liceret.

Excesserant ferè animo & memoria mea, quæ-  
cunque olim scripseram de illa hypothesi, & quæ-  
cunque de ipso etiam totius Operis proposito scri-  
benda institueram. Cùm ecce, nescio quo fato; me  
verò, imperij lege, coacto magis, quàm obsequen-  
te; codex meus Lutetia Bruxellas ad me delatus  
est.

Vocabar tunc temporis in Hollandiam, propter res meas priuatas. Et impetrata venia à Serenissimo Principe Domino meo, Amstelodamum veneram. Incideramque in turbam Typographorum, qui plurimi sunt in illa vrbe: quique me certatim omnes sollicitabant darem illis codicem *Præ-Adamitarum* meorum: quia nouerant me illum attulisse. Nusquam enim, ex quo illum acceperam, mittebam.

Quid facerem? Cauendum mihi videbatur diligenter vnico illi, quod mihi erat, exemplari. Quodque (vt ingenuè fatear PATER SANCTISSIME, quæq; mea cæcitas fuit) vnice diligebam; tum propter nouitatem cogitati, tum quia cogitatum meum erat: atque vt ait ille, *quia nauos nostros & cicatrices amamus*. At neque semper & vbique portare poteram codicem illum meum: quo me præcipuè iussa Serenissimi Principis Domini mei trahebant, & retrahebant. Timebam scilicet oneri meo: neminemque habebam, vel in Belgio, vel in Hollandia, cui pignus hoc confidenter crederem. Utendum ergo mihi erat commoditate Typographorum Amstelodamensium: nec non libertate imprimendi, quæ mihi tum Calvinistæ laxior erat, quam licuisset Catholico. Consultumque hac ratione putabam timori meo, & securitati fœtus mei; si quod

unicum illius habebam exemplar, Typographo darem; qui pro vno centum redderet, & quamplurima alia exempla propagaret.

Hoc verò confidentiùs præstiturum me posse existimabam, PATER SANCTISSIME, quod toto Opere meo obtestabar, me nihil asseuerantèr statuere de hypothefi mea: Sed eam exercitationis gratia exhibere, omnibus impugnandam, & censuræ Ecclesiasticæ subijciendam: cuius auctoritati, me, meaque omnia, obsequenti & cœca religionē deuouebam. Librum quinetiam illum meum nomine meo non inscribebam; latiturus post tabulam, & excepturus quale foret de illa omnium iudicium. Non enim dubitabam, quamplurimos in talem hypothefim acritèr infurrecturos. Sed non mihi venerat in mentem, PATER SANCTISSIME, gentem vllam, reperi, vsquam posse, quæ in caput meum propter librum illum coniuraret. Vel enim, aiebam, ignotus ero quia nomen meum tacui. Vel si notus ero, & nouitas propositi mei Christianum quemquam offenderit; admonebit me Christianus frater meus, more humano, & Christiano. Præsertim certè nihil asseuerantem, exercitationis causa scribentem, auctoritati Ecclesiæ me subijcientem, & doceri velle clara & aperta voce profitentem. Hoc etiam in primis caueram, PATER SAN-

B 2 CTISSI



CTISSIME, vt Typographus meus se mihi fide  
religiosissima obstringeret, nullum exemplum li-  
bri illius missurum in Belgium. Ne scilicet Princeps  
Dominus meus, in cuius fide eram apud Belgas,  
conquerentem Belgam audire posset, vel de religio-  
ne quam profitebar, vel de opinione noua, quam  
in Belgium disseminare voluissem.

Redieram ex Hollandia in Belgium ad Serenif-  
simum Principem Dominum meum, qui me Na-  
murcum remisit. Vbi per sex menses continuos se-  
cesseram; cum mihi nihil tale cogitanti relatum est,  
emanasse à Domino Episcopo Namurcensi, censu-  
ram in librum meum; per totas ciuitatis Ecelesias  
vibratam; festo celeberrimo, Natalium Domini,  
anni 1655. & frequentissimo totius populi concur-  
su. Non indicato publicè nomine meo, quia liber  
erat anonymus: sed emissis, qui me nominarent,  
infamarentque censura illa Caluinistam & Iudæum  
notari.

Inuocaui illicò Serenissimi Principis Domini  
mei fidem in qua eram, & sine qua non venissem  
in Belgium. Contestatusque sum Serenitatem  
suam, ne vim mihi inferri pateretur. Scandalum  
siquidem ex hoc libro ortum non ex me emanauit  
se. Quippè quia nemini librum illum dederam in  
toto Belgio, & nemini vtiquè apud Belgas de illo  
mentionem feceram.

Mit-

Mittere me decreuerat Serenissimus Princeps Dominus meus, ad praesidium quod habet, nomine Linchamp, Eburonibus & Treueris conterminum. Bruxellasque veneram, ut mandata Serenitatis suae exciperem. Expectabamque literas ad Praefectum praesidio, quò iturus eram, quae mihi de die in diem procrastinabantur. Cum ecce, inauspicata die mensis Februarij, anni 1656. irrumpunt in cubiculum meum, agmine, & impetu facto, triginta homines armati: & extractum cubiculo, & domo, rapiunt per plateas: & per longos ciuitatis anfractus, sublimem raptum intrudunt in carcerem.

Ubi primum à tam imprauiuso ausu, lux redita menti est, & hiscere mihi licuit: petij cuius decreto raptus fuisset in carcerem. Respondit mihi administratorum dux, decreto D. Vicarij generalis Archiepiscopi Mechliniensis. Neque multo post tempore intrauit in carcerem D. ipse Vicarius, duobus alijs, & Scriba suo comitatus. Meque interrogare coepit, quis, & qualis, & cuius essem. Ego verò illata & recenti, illaque acerba (ut tunc accipiebam) iniuria, violentè percussus: inuerso Iudiciorum ordine, in Iudicem quem tempore in illo non agnoscebam meum, inuectus sum. Illumque contra incusare coepi, quod oblitus iuris omnis Christiani, & humani, tam inclementè in me sauiisset:

con-

contra fidem in qua eram tanti Principis Domini mei; contra fidem publicam foederis, quod Serenissimus Princeps Dominus meus inierat cum Rege Catholico: & contra fides omne gentium. Quod scilicet <sup>ita</sup> vehementer cum illo expostulaui; & quo solent exulceratae mentes verborum effluuio dolores suos exonerare; vt D. Vicarius, amoueri me inde iusserit. Vixque discesseram, è conspectu eius, cum & ipse cum suis è carcere excessit: Iudicium suum, deserens, & indicta causa quare me in carcerem mitti decreuisset.

Neq; illum, PATER SANCTISSIME, post illa vidi. Nam cum me Serenissimus Princeps Dominus meus, repeteret tanquam suum, & in cuius fide, & iurisdictione essem: fatebatur iustum illud esse Serenissimus Princeps Archidux Leopoldus, qui tum praerat Belgio. Sed carceris mei conscius, negabat me liberare posse non consentiente Iudice Ecclesiastico: In quem nulla illi esset potestas in Belgio, nisi precaria; neque adeo Regi ipsi Catholico.

Quia verò non tam facile erat D. Vicario expedire se à flagitatione, qua me Serenissimus Princeps Dominus meus repetebat: nescio quo casu accidit, vt ipse morbo correptus fuerit, quo deinde ingrauescente, intra paucos dies mortuus est.

Vene-

Venerunt post mortem D. Vicarij, literæ à  
 SANCTITATE TVA, quibus significabat se  
 valdè commoueri in ijs quæ de me, tanquàm nefan-  
 do hæretico, scripta fuissent. Hoc verò malè ha-  
 bebat Serenissimum Principem Dominum meum,  
 in cuius manum victoria & fide præstantem me  
 tradideram. Sed qui parte alia, quæ tanta est tan-  
 to Principi erga Sedem Apostolicam veneratio  
 & erga SANCTITATEM TVAM religio; nihil  
 committere volebat, quod SANCTITATEM  
 TVAM offenderet. Atque vt leuarem animum  
 eius anxium omni de me sollicitudine, ac diuinæ  
 gratiæ radio mihi affulgente, salutis meæ consulere.  
 Oraui suppliciter, & enixè, Serenissimum Domi-  
 num meum, vt veniam impetraret à SANCTI-  
 TATE TVA, qua mihi liceret aduolui ad pedes  
 eius. Meque, & librum meum, ac omnia mea,  
 eidem subijcere.

Habeo gratiam, illamque maximam, Maxi-  
 mo Principi, & Domino meo optimo, qui talem  
 pro me veniam à SANCTITATE TVA impetra-  
 uit: tum pro natiua illa, quæ TIBI inest, PATER  
 SANCTISSIME, humanitate ingenij: tum verò  
 maximè, pro Christiana illa qua incenderis erga  
 omnes animi charitate. Adsum ergo, PATER  
 SANCTISSIME, & aduoluo ad pedes SAN-  
 CTI-

CTITATIS TVÆ. Et quod bonorum omnium summum mihi est: DEVM in TE PATER SANCTISSIME, videre mihi videor.

Atque vt intelligat SANCTITAS TVA, quàm longè absim ab illa mente qua me fuisse nonnulli fortè putauerunt; Sectam nouam introducendi. En ego ipse, PATER SANCTISSIME, qui cum primo lacte Sectam Caluini fuxeram, quam Galli Reformatam vocant; eiuravi protinùs illam ipsam ad pedes SANCTITATIS TVÆ, & me addixi Ecclesiæ Catholicæ, cuius TV PATER SANCTISSIME, Caput es. Nimirum, vt Te summum Pontificem agnoscerem; & Te Iudicem summum mihi ipsi statuerem. Cui scilicet per me ipsum de me liceret, quicquid de me decernere SANCTITATI TVÆ libitum esset.

Toto cœlo distat, PATER SANCTISSIME, opinione sua nouam Sectam introducere velle; Et opinionem suam auctoritati Ecclesiæ submittere. Illud, nouatoris hæretici est: Hoc, Christiani obsequio Fidei hærentis, & affixi. Si quid autem excusationis error meus habere posset, illud fortè accerferem ab ijs verbis, quæ in proœmio mei Systematis scripsi, quæ sunt huiusmodi.

*Si quis causa cognita me errare demonstrauerit.  
Hoc est: me in aliquo vel minimo aduersari historia*

*Gene.*

Geneseos, Vel quibuslibet locis alijs Scriptura sacra,  
 & orthodoxa: Vel diversum abire quantum latus Un-  
 guis est, à quolibet capite fidei Christiana. Primum  
 habeo illi gratiam maximam quod me docuerit. De-  
 inde Verò, nomen meum non pudebit apponere: Imò  
 gloriosissime mihi Versurum putabo, si illud totum &  
 quadratis literis implevero, in evitando tali errore meo.  
 Quem abominor, si quis talis meus est. Quamvis enim  
 mihi ipsi sim amicissimus, magis tamen mihi est amica  
 Veritas. Quod Unice profiteor.

Neue dicar per hæc verba effugium mihi pa-  
 rauisse, quale dicuntur sibi quærere Hæretici omnes,  
 quibus solenne est eadem protestari; se retractatu-  
 ros hæreses suas, si illis demonstrantur hæreses esse.  
 Quia nempe conuinci obstinatè nolunt. Hæc etiam  
 scripsi capite 8. Exercitationis meæ.

Si licet per dominos, & magistros meos Docto-  
 res orthodoxos, penes quos ius est summum inqui-  
 rendi, & statuendi de Theologicis. Et quorum Iudi-  
 cio, me, meaque omnia, obsequenti, & cæca religione,  
 deuoneo. Experiar, nùm facilius accommodetur his  
 Versibus explicatio, si dicimus. &c.

In quibus, PATER SANCTISSIME, omne  
 mihi præclusi effugium. Cedere enim paratus sum,  
 vel demonstrationi, vel auctoritati. Et si demon-  
 stratio parum firma mihi videbitur, auctoritas sola

Ecclesiæ efficiet totum meum obsequium, illudque cœcum, in illis omnibus quæ Iudices summi ad hoc delegati, statuent, & decernent de meis opinionibus, aut erroribus. Iudices autem summos illos intelligo, PATER SANCTISSIME, quos Summus, & Romanus Pontifex delegaret; penes quem solum potestatem fuisse tales delegandi ex animo credo. Quis enim alius ex omnibus Sectis Christianis, præter Romanum Pontificem, tale quid sibi arrogare præsumperit? Patiatur vltimò SANCTITAS TVA, PATER SANCTISSIME, vt hic etiam addam, & apponam, quæ scripsi in fine capituli vltimi Exercitationis. Talia sunt:

*Lectorem meum beneuolum oratum volo, vt quæcumque scripsi, scripta putet exercitationis causa, & gratia. Nihil enim ausim asserere de his, quæ parum conuenire videntur cum recepta opinione totius Ecclesiæ. Cuius præceptis totum me sine fraude, & deuotissimè addico.*

En ego, PATER SANCTISSIME, ille ipse, qui me totum sine fraude, & deuotissimè addico Ecclesiæ Catholicæ, & SANCTITATI TVÆ. Statuat quicquid voluerit de me, & de meo libro SANCTITAS TVA. Voluntas eius pro ratione, & pro lege mihi erit. Vnum hoc SANCTITATEM TVAM oro, PATER SANCTISSIME,

vt talem de me opinionem pro charitate sua concipiat, me scripsisse simpliciter & sine bono (vt mihi tunc visum est) quæcunque de tali hypothese scripsi. Et præter expectationem meam euenisse, quodcumque de scripto meo scandalum natum est. Posui quæstionem illam problematicam; quæque in vtramque partem posset disputari. Ac proinde quæ de illa scripsi; exercitationis tantum causa scripsisse toto meo Opere protestatus sum. Non ergo tanti illam feci, quin pluris faciam scandalum quod ex illa ortum est.

Atque vt manifestè appareat SANCTITATI TVÆ, me ex animo, & toto pectore dicere quæ loquor. Fateor ingenuè, PATER SANCTISSIME, me in illa hypothese exponenda, delusum fuisse imagine ipsa veritatis, qua alliciebar; & qua alios allici posse existimaueram, quia innocentem putaueram: Sed à qua deinceps abstinendum omninò esse, mihi ipse auctor sum: quia omninò contrariam experior proposito ipso meo. Non enim constitueram propositum meum propter illam hypothese; sed viceuersa, hypothese induxeram propter propositum meum, & tanquam proposito meo conducibilem. Quod vt clariùs intelligat SANCTITAS TVA, absolvam quod superest deprecationis huius meæ: & aperiam deinceps,

C a

qua-



quale fuerit Propositum principale totius mei Operis.

NIHIL certiùs est, PATER SANCTISSIME, Christianos omnes Gentiles Salutem suam debere Iudæis, Christo scilicet ex Iudæis orto. Quod docemur ore ipso Domini dicentis Samaritanæ: *A Iudæis Salus est*. Quin & illud ipsum, quod dicebat DEVS FILIVS mulieri gentili; DEVS PATER edixerat longè antea Patribus Iudæorū. *Benedicēdas in semine eorū, omnes gentes, omnes tribus, omnes nationes, & omnes terrarum omnium familias*. Imò illam fuisse Iudæorū prærogatiuā dixit Apost. ep. ad Rom. c. 2. & 9. *Quòd illis credita essent DEI eloquia; Quorum esset adoptio, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. Quorum Patres. Et ex quibus Christus esset secundum carnem, qui est super omnia DEVS benedictus in secula. Amen.* Undè appareret Gentiles omnes qui sunt natura alieni à gente, à tribu, à natione, & à familia Iudæorum: vel benedictos, vel benedicendos esse; in semine Iudæorum, qui Christus est; Dominus, omnium, Iudæorum & Gentilium. Per quē scilicet Gentiles adoptati sunt in populū DEI, & per quē insiti sunt in Iudæorū stipite: vt fiant participes benedictionis, & salutis, quæ in familia & stipite Iudæorum fuit.

Abdicatos sed enim fuisse Iudæos sua familia,

-sup

ncc

nec non defractus sua arbore, tum propter peccata sua, tum propter peccata patrum suorum; testes sunt vtriusque foederis Sacrae Paginae: & res ipsa à morte Christi (summo illorum flagitio) comprobavit. Illud autem mysterio factum fuisse nos docuit Apostolus capite 11. ad Romanos. *Vt per Iudaeorum delictum, & perditionem, Salus esset Gentibus. Et caecitatem obuenisse ex parte Iudaeis, donec plenitudo Gentium intraret. Quibus significaretur, Iudaeos reiectos fuisse, vt Genriles in eorum locum sufficerentur. Atque olim restituendos sub finem saeculi, cum plenitudo Gentium intrauerit. Ad tempus igitur derelictos fuisse Iudaeos, neque propterea omnino repulsos.*

Restorationem vero Iudaeorum futuram expressit S. Paulus verbis conceptissimis, vbi ait cap. eod. 11. *Et sic totus Israel saluabitur, sicut scriptum est. Veniet Redemptor ex Sion, qui eripiat, & auertat iniquitatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum: cum abstulero peccata eorum. Deus ergo auferet peccata Iudaeorum. Atque in primis auferet incredulitatem eorum. Cor illis lapideum carneo mutabit. Aperietque oculos, vt videant, & credant in eum quem transfixerunt.*

Quod vt faciant Iudaei, idest, vt credant in eum quem transfixerunt; ex officio Christianorum esse

esse Iudæos adhortari, nemo est qui inficias ierit. Quin & ministerio Christianorum confieri debere illud, nos docuit Apostolus loco eodē. *Non enim, inquit, sic offenderunt Iudæi ut caderent. Sed illorum delicto Salus est Gētibus, ut Gentes Iudæos æmulentur.* Ad æmulationem verò prouocandos Iudæos prædixerat DEVS olim Deuter. 32. his verbis: *Ad æmulationem prouocabo vos per Gēte, quæ non est Gens;* id est per Christianos Gētiles, qui non reputantur in Gente DEI, antequam fierent Christiani. *Amulationem rursus illam habere Iudæos, Sed non secundum scientiam,* testatur Apostolus cap. 10. ad Romanos. Idem capite sequenti, ad illam scientiæ æmulationem prouocare Iudæos nititur vbi ait. *Si quomodò ad æmulationem prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.* Christianorum ergo maximè interesse quis dubitauerit, prouocare Iudæos ad æmulationem scientiæ Christianæ? tùm ex mandato DEI: tùm ex Apostoli præcepto, & exemplo: tùm & ne sibi inuidiam, comparent ingratitudinis; si æmulationem salutis suæ denegent Iudæis, quibus & ipsi salutis suæ auctorem debeant; quique pro illis, vt loquitur Apostolus, ex parte perierunt.

Ad hoc verò Christianos inuitat Apostolus idem, cap. 11. ad Romanos, argumento potentissimo

fimo, & petito ab vtilitate Christianorum ipsorum, vberissima. Nam si, inquit, delictum Iudæorum diuitiæ sunt Mundi: & diminutio eorum, diuitiæ Gentium, quantò magis plenitudo eorum? Et paulò inferiùs. Si (ait ille) amissio Iudæorum, reconciliatio est Mundi; quæ erit assumptio, nisi Vita ex mortuis? Atquè plenitudo, & assumptio Iudæorum, quæ futura erit quædam resurrectio Mundi; nec non effusissimus diuitiarum, & benedictionum diuinarum super Christianos, & Mundum ipsum totum, cumulus: conuersio Iudæorum futura est. Conuersio verò Iudæorum, diuina gratia aspirante maximè, ac potissimùm; pendet ab amulatione, ad quæ Christiani prouocare debent Iudæos. Ergo, diuitiæ Christianorū, diuitiæ & resurrectio ipsa Mūdi; à Christianis ipsis pendet: quatenùs prouocare debent Iudæos ad suam salutem.

Hæc omnia ferò apud me perpendens; non impossibilem fore prouocationem illam, neque vanum, & inutile tentamentum eius, mihi persuaferam, PATER SANCTISSIME. Quamuis enim Iudæos videamus pertinaci, atque omninò (vt apparet) desperato pro sua conuersione animo. Posse tamen induci vt conuertantur, eo ipso non dubitavi; quia futurum est pro certo, vt aliquando conuertantur.

Mo-

Modos autem quibus induci posse Iudæos ad suam conuersionem existimaueram, longum esset, PATER SANCTISSIME, neq; profuturum hoc loco, & tempore enarrare. Imò rem ipsam time-  
 trem confundere, & obscurare, si illam breuiter exponere instituerem. Illorum certè modorum, rationes, in animo erat ponere ordine, & vnquamque sigillatim opere meo expendere. Nempe illis adduci posse Christianos putaueram, ad prouocandos Iudæos: Iudæosque vicissim persuaderi, ad suscipiendam salutem suam à Christianis.

Quod cum meum esset, & principale totius Operis mei propositum. Fateor, PATER SANCTISSIME, me infeliciter auspicatum illud esse ab hypothese, quæ neque à Christianis, neque adeò à Iudæis ipsis suscepta est, nec suscipi debuit. Imò quam ab vtrisque eiectam, & eliminatam, hinc, & indè intelligo. Malus autem conciliator audirem, si quos conciliare vellem, in me ipsum concitarem. Reijcienda ergo, & eliminanda omninò mihi ipsi est hypothesis hæc: tum propter ipsam, quatenus hæretica vndique conclamata, & iudicata est: tum quia proposito ipso meo repugnat, & aduersatur.

Non me latet PATER SANCTISSIME, à Domino debere fieri illud. Et coniunctionem proph-

phe-

pheticam duorum lignorum, Iudaici & Christiani, opus DEI purum putum futurum esse. Sed nihil officit Diuinæ gloriæ credere, DEVM in tali & tanto opere, vsurum etiam esse Christianorum & Iudæorum ipsorum opera. DEVS enim saluos facere homines consuevit, per homines ipsos. Utetur ergo Christianis, qui prouocent Iudæos ad æmulationem salutis suæ. Uteturque Iudæis ipsis, qui prouocationi Christianorum faciles aures præbeant.

Placitum quinetiam aliquorum haud improbabile est; nos propè illa tempora esse, quibus coniunctio illa Christianorum & Iudæorum fieri debet. Et si quid in re tam arcana liceat ex coniecturis: notarem aliqua signa, quibus ea qua decet reuerentia, augurer; DEVM facturum esse tam grande opus, dignissimo & auspiciatissimo SANCTITATIS TVÆ ministerio; TEque, PATER SANCTISSIME, DEVM reseruauisse Pastorem his seculis, qui vtrumque Gregem colligeres, Iudaicum, & Gentilem; & ex duobus vnum faceres.

SANCTITATEM certè TVAM indubiè superaturam expectationes omnes, quas de Pontificatu suo concitauit, hinc potissimùm conijcere est, PATER SANCTISSIME: Quòd adiunxeris Nobilitatem generis illustrissimam, cum omnibus illis excellentissimis virtutibus, quæ requiruntur in sum-

D

mo

mo Pontifice, & vigilantissimo Dominici Gregis Pa-  
store.

Nihil enim TE fugit, PATER SANCTIS-  
SIME, de his, quæ diuinarum & humanarum rerum  
notitiam sapiunt. Experientiam habes in politicis,  
illisque maximis, exercitatissimam. Remedia TIBI  
sunt ad vtramque fortunam, comprobata virtute, &  
exploratissima vitæ sanctimonia, præsentissima.  
Summam fidem præstas, summamque in omnibus  
animi moderationem. Et quòd Spiritus Christi ra-  
rissimum, & consummatissimum donum est: sua-  
uissimam obtines humanitatem, cum summa chari-  
tate coniunctam. Accedit his maximis diuinum  
hoc; quod non sine Numine, tantus ardor conci-  
liandæ pacis inter Principes Christianos SANCTI-  
TATI TVÆ additus est. Et qui Summus Ponti-  
fex pacem flagranti bellis Europæ conciliaueris;  
dabis illam opportunè Ecclesiæ ipsi Christianæ.

Non noui auguria nominum, neque iniectas  
de talibus religiones superstitiosè curare soleo, PA-  
TER SANCTISSIME. Sed non temerè accidisse  
arbitror, quod SANCTITAS TVA nomen ALE-  
XANDRI præfaga mente fortita est. Nempe ille  
fuit Regnatorum maximus, qui plurimas terrarum  
plagas sub ditionem suam misit: & totum sibi Or-  
bem subijcere meditabatur. TVA verò SAN-  
CTI-

CTITAS, PATER SANCTISSIME, non desistet quin perficiat, quod Alexander voluerat & tentauerat. Orbemque terrarum totum, sed volentem, gladio illo ex vtraque parte acuto, qui ex ore DEI exit, sub leges Ecclesiæ Catholicæ mittet: quem Alexander repugnantem, mortali suo mucrone, ex parte debellauerat, & ex parte terruerat.

Tum, si qua diuinatio in numeris est. Non illud casu fortuito contigisse dixerim, PATER SANCTISSIME; quod ALEXANDRORVM SEPTIMVS, in catalogo Pontificum numeraris. Septenarius enim, numerus est Sabbathi & quietis Dominicæ. Præfagitque Pontificatum SANCTITATIS TVÆ, Sabbathismum fore Domini, & Sabbathismum fore Ecclesiæ Catholicæ, quæ est Ecclesia Domini.

Nimirum hæc illa est requies, & hæc illa est PAX, quam SANCTITAS TVA tanto cum zelo, & tanta cum charitate, conciliare cupit toti Orbi Christiano. Sic cupere non desinat, & sic DEVS ille Deorum faciat quod cupit SANCTITAS TVA, PATER SANCTISSIME. Pax illa toto Orbẽ Christiano erit. Et TVA SANCTITAS totum Orbem faciet Christianum, vt totus Orbis TVA PACE gaudeat.

Totus Orbis PATER SANCTISSIME, ad-

D 2

uol-



uoluetur ad Pedes TVOS. Et de TVIS Pedibus, qui Romanis infistunt & præfunt montibus, iam nunc vsurpabitur quod prophetavit Isaias cap. 52. *Quàm pulchri super montes PEDES annuntiantis & prædicantis PACEM: annunciantis bonum: prædicantis salutem. Dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Diciturque eodem Spiritu quod ibidem scriptum est. Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem, quia consolabitur Dominus Populum suum, & redimet Ierusalem.* Nullum scilicet futurum erit plenum Sabbathum, & nulla futura erit plena Pax Christianis, & toti Ecclesiæ Christianæ, quæ vera est Catholica; nisi in Sabbatho & in pace Iudæorum, quæ erit consolatio & redemptio Iudæorum.

Quam TV verò cernes, PATER SANCTISSIME, Ecclesiam Catholicam, & quæ TVA regna surgere, in coniunctione & fœdere Christianorum & Iudæorum? Pulchrum & memorabile facinus! Quodque præteritorum ferè omnium, illorumque celeberrimorum, memoriam delebit. Sed quod si audeat, conficiet (ne dubita) SANCTITAS TVA. DEVS enim cum illa, & à dextris eius erit.

Quis verò Christianus adeò iuratus hostis erit pacis Ecclesiasticæ & Christianæ; qui SANCTITATI TVÆ ad tam excelsum & tam religiosum opus intentæ, operam suam qualemcunque poterit,

denegare durauerit? Quis enim morosus adeò Sectator nouarum partium, bilem omnem schismaticam non eiurabit: Et quis non charitatem omnem Christianam induet, vt in partem veniat tantæ gloriæ, quæ in æmulandis Iudæis futura erit?

Nullus certè dubito, PATER SANCTISSIME, quin omnes Christiani, cuiuscunque Sectæ fuerint; vbi primùm SANCTITAS TVA vexillum suum extulerit, & Coronam pro tam sancta expeditione PVPPI SVÆ imposuerit: certatim omnes ad illam confluant, omnesque in illa vna faciant pedem; vt ad vellus verè aureum salutis tam eximiæ, feliciter properent & adnauigent. Quam scilicet DEVS salutem verè auream, in salute Iudæorum, Christianis omnibus, & toti Mundo promisit. Facietque certissimè, prolixius etiam multò quàm promisit.

HÆC sunt PATER SANCTISSIME, quæ habebam dicenda, super Operis mei Parte edita, & totius proposito. Partem illam editam, quæ Præ-Adamitarum hypothesim continet, eiurare paratus sum: Quæ dissentit à Patribus Sanctis, & à Sacrosanctis Ecclesiæ Catholicæ decretis. Concipe eiurationis verba, PATER SANCTISSIME, & iurabo in illa. Abominor enim, detestor, & execror, quodcunque reijcit Sacrosancta Ecclesia, Ca-  
tho-

tholica, Apostolica, & Romana. Cuius præceptis  
 totum me dedo; ac sum paratus vri pro illa, vin-  
 ciri, ferroque necari. Vno verbo, nè prolixior sim:  
 Inuenies PATER SANCTISSIME, vbique me  
 religiosum S A N C T I T A T I S T V Æ venerato-  
 rem. Mandatorum verò obseruatorem,  
 vbique etiam deuotissimum & fi-  
 delissimum.

*Isaacus Peyrerius.*

VETUSTISSIMA

INSCRIPTIO

DE

L. CORNELII

SCIPIONIS


IN


RE


RE

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint signature or name, possibly "Guar. P..."











LANDMEYER  
De veteri  
Clericor<sup>um</sup>  
&  
Monachorum  
habitu.

Louanij 1626

PEYMERTII

Reuocatoria  
Hæresis sua  
de Præ Adamii

Roma 1657.

Elogium L. COR.  
Scipionis.

Roma 1687

170

Th  
4901